



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 41. Quidam sacræ paginæ textus a quodam Spiritu Zwinglio suggestus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

## §. XLI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1526.

*Quidam sacræ pagine textus a quodam Spiritu Zwinglio suggestus.*

Duodecimo post die Zwinglius somnium habuit, quod ipse in præfato libro refert, & si verbis ejus fides adhibenda, existimabat se cum Tigurinæ Urbis Tabulario in arenam descendisse, hunc vero Missæ abrogationi vehementer obstitisse, atque in maximas Zwinglium redegisse angustias, eoquod ex verbis Christi Domini: *Hoc est corpus meum*, invicte probari contenderet, quod panis transmutetur in Christi corpus; „ In arcto prehensus, pergit Zwinglius, inopinato Phantasma vidi (*atrum an album fuerit* se non meminisse profitetur) quod his verbis me alloquebatur: Ignave, quare non objicis ea, quæ in Exodo leguntur: „ *Est Phasæ, hoc est transitus Domini*, en quomodo res significanta, id est, *transitus* tribuatur signo, „ nempe *Agno*. Agnus dicitur esse Phasæ, ideo, quia illius signum est. „ Hoc somnium, quamvis omnino frivolum esset, nihilominus a Zwinglio cœlestis instar admonitionis habebatur, ipseque hanc imaginationis illusionem serio referebat, indeque falsam, quam claris adeo Christi verbis: *Hoc est corpus meum*

*Hospinian. 2. part p. 25. Et 26. Zwingl. in subsid. de Eucharist.*

Sæcul. XVI. attribuit, explicationem confirmabat,  
A.C. 1526. hujus tamen Hæresiarchæ Sectatores  
 contendunt, quod Zwinglius asserens  
 se ignorare, an Spiritus, quem in som-  
 nio vidit, *ater non albus esset*, duntaxat  
 insinuare voluerit, hunc Spiritum dig-  
 nosci, haud potuisse. *Ast*, inquit Bos-  
 fuetus, *hoc ipso, quod Spiritus ipse late-  
 re voluerit, characterem spiritus maligni  
 præsefert. Verum & hic nullum Zwinglius  
 subsidium habet: hæc enim verba: Agnus  
 est Phase, seu transitus Domini, nullate-  
 nus significant, quod Agnus sit figura  
 transitus; id enim hebraico sermone sat  
 familiare est, quod verbum Sacrificium  
 subintelligatur; sic peccatum simpliciter  
 idem est ac Sacrificium pro peccato, &  
 transitus seu Pascha simpliciter sumptum  
 est Sacrificium transitus seu Paschatis,  
 hoc idem quoque sacer Codex paulo in-  
 ferius ipsemet explicat, dum fusiori ser-  
 mone affirmat, agnum non esse Phase  
 seu transitum, sed transitus victimam.*  
 Cum igitur ceteræ factiones novæ, at-  
 que existimatæ hujus reformationis mi-  
 nus credulæ essent, quam Zwinglius,  
 non deerant quamplurimi, qui ejus ex-  
 plicationem omnino rejiciebant; unde  
 Lutherani circa hunc articulum in va-  
 rias rursus sectas scindebantur. Luthe-  
 rus enim hæc verba: *Hoc est corpus me-  
 um, juxta literalem eorum sensum intel-  
 lexit,*

lexit, admisitque, quod Christus Domi-  
 nus in Evcharistia præsens sit, quamvis  
 simul cum sacratissimo ejus corpore pa-  
 nis adesset, ex quo tamen inepta resul-  
 tat conjunctio. Ex adverso Oecolam-  
 padius contendebat, hoc verbum *Cor-  
 pus* accipiendum esse pro figura corporis:  
 Carolstadius vero metonymiam colloca-  
 vit in verbo *hoc*, ac Zwinglius in verbo *est*.

Sæc XVI.

A.C 1526.

§. XLII.

*Primus Oecolampadii liber de  
 Evcharistia.*

Ut autem Oecolampadius suam tuere-  
 tur sententiam, speciale conscripsit  
 opusculum, cui titulus: *Vera expositio  
 verborum Christi Domini: Hoc est corpus  
 meum; & hic ipse liber primus est, qui  
 circa hoc argumentum in lucem prodiit.*  
 Mox autem quatuordecim Lutheranæ  
 Sectæ Ministri conventu Hallæ habito  
 adversus Oecolampadium librum con-  
 scripserunt, cui titulus *Syngramma* seu  
 Scriptum commune. Adscribebatur hæc  
 lucubratio Joanni Brentio, qui postmo-  
 dum ubiquistarum caput evasit. Verum  
 huic Oecolampadius aliud opposuit opus,  
 quod *Antisyngramma de Cæna Domini* in-  
 scripsit. Brentii librum Joannes Agri-  
 cola Germanice reddidit, Lutherus ve-  
 ro approbavit, adjecta præfatione, in  
 qua hæc asseruit: *Tot capita, tot sen-  
 sus*